

mysteria Salvatoris, haurit ei, et propinat aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, ut etiam nuntianti sibi, sive Isaiae, sive cuilibet ex prophetis, eadem anima respondere videatur verbis Elizabeth, quia eodem potata spiritu quo Elizabeth: Et unde mihi hoc, ut veniat Dominus meus ad me? (*Luc. 1, 34, 43.*) Ecce enim, ut facta est vox annuntiationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio spiritus in corde meo, gestiens occurrere Deo Salvatore suo.

2. Et revera, fratres, exultatione spiritus Christo venienti occurrendum est. Et jam nunc a longe salutandus, vel certe resalutandus, qui mandat salutes Jacob. *Amicum salutare non confundar (Eccl. xxii, 31)*, inquit Sapiens; quanto magis resultare? O salutare vultus mei, et Deus meus! quanta dignatio fuit quod servos salutasti? sed quanto major, quod salvasti? Nec enim integra nobis salus esset, si salutes mandares, et non dares. Dediti autem, non modo, quos salutaveras verbis pacificis, postmodum salutando in osculo pacis, videlicet per unionem carnis; sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exurgat **912** igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque obviam Salvatori suo, et jam a longe venientem adoret et salutet, acclamans ei et dicens: *O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare! Benedictus qui venturus es in nomine Domini (Psal. cxvii, 25, 26)*. Salve, qui venis salvare nos; benedicis, qui venis benedicere nos. Igitur, o Domine, bene prosperare, qui tam prosper et salutaris advenis generi humano. Intende, prospere procede et regna. Prosperum iter faciet tibi Pater, Deus salutarium nostrorum. *Prosperabitur*, inquit Pater, *in his ad quae misi illum (Isa. lv, 1)*: non pro votis carnalium, non pro voluntate Petri, qui abhorrebat illum pati. *Et omnia quaecunque faciet prosperabuntur (Psal. 1, 3)*: non ad praeproperam hominum voluntatem, sed ad veram eorum salutem. *Vana quidem salus hominis (Psal. cvii, 13)*: sed *Domini est salus (Psal. liii, 9)*, qui operatus est salutem de sanguine suo, fundens illum in pretium, et propinans in potum. Veni ergo, o Domine, *salvum me fac et salvus ero (Jerem. xvii, 14)*. Veni et *ostende faciem tuam, et salvi erimus (Psal. lxxix, 4, 8, 20)*. *Te enim expectavimus: esto brachium nostrum, salus nostra in tempore tribulationis (Isai. xxxiii, 2)*. Sic Prophetae et iusti desiderio et affectu tanto ante Christo venturo occurrebant, desiderantes, si fieri posset, oculis videre quod spiritu praevidebant. Unde Dominus discipulis dicebat: *Beati oculi qui vident quae vos videtis, dico enim vobis, quod multi prophetae, et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt (Luc. x, 23, 24)*. Abraham quoque pater noster exultavit, ut videret diem Christi: vidit, sed apud inferos, et gavisus est. In quo utique temporis et duritia cordis nostri suggillatur, si non videt eum gaudio spiritali.

3. Christi nascentis diem anniversarium expectamus; qui nobis in proximo videndus, Domino annectente, promittitur. Hoc sane gaudium nostrum tale

videtur exigere Scriptura, ut spiritus noster levans se super se, Christo venienti quodammodo occurrere gestiat: et desiderio se extendens in anteriora, impatiens que morarum, jam videre contendat futura. Ego namque non solum ad secundum adventum, sed etiam ad primum arbitror pertinere, quod tot locis Scripturarum ei monemur occurrere. Quomodo, inquis? Quia videlicet sicut secundo adventui occurremus motu et exultatione corporis: sic et primo occurrendum est affectu et exultatione cordis. Scitis enim quia resumptis in resurrectione corporibus novis, secundum doctrinam Apostoli, *rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus (I Thess. iv, 16)*. Sic nec modo desunt nubes, quae spiritus nostros, si nimis non fuerint pigri terraeque affixi, sublevarunt ad altiora; et sic cum Domino erimus, vel hora dimidia. Agnosceat, ni fallor, experientia vestra quod loquor, cum aliquando vocem dederunt nubes, id est, sonuerunt in Ecclesia prophetarum, vel apostolorum voces, ad quam sublimia sensus vestri, quasi vehiculo nubis, fuerint subvecti; et eo usque nonnunquam excesserint, ut gloriam Domini quantulumcumque mererentur speculari. Tunc, ni fallor, vobis innotuit veritas illius sermonis, quem Dominus de illa nube pluit, quam quotidie ponit ascensum vobis: *Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei (Psal. xlix, 23)*. Ita ergo sit, ut ante adventum suum Dominus veniat ad vos, et antequam mundo generaliter adveniat, familiariter invisat vos. *Non vos, inquit, relinquam orphanos: vado, et veniam ad vos (Joan. xiv, 18)*. Et quidem pro merito cuiusque, vel studio, creber est ad unumquemque iste Domini adventus, hoc tempore medio inter adventum primum et novissimum, conformans nos adventui primo, et praeparans novissimo. Ad hoc nempe venit modo in nos, ne primo adventu frustra venerit ad nos, vel ne in novissimo veniat iratus adversus nos. Hoc siquidem adventu salagit reformare sensum superbiae nostrae, configuratum sensui humilitatis suae, quam primo veniens exhibuit; ut perinde reformat corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, quam denuo rediens exhibebit. Prorsus optandus omnibus votis, et expetendus studiis adventus iste familiaris, qui nobis gratiam impertiat adventus primi, et gloriam promittat novissimi. Quia enim misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal. lxxxiii, 12*;) per misericordiam praerogans gratiam, per veritatem reddens gloriam.

913 4. Porro sicut dispositione temporis, sic etiam proportione similitudinis melius est adventus iste spiritalis inter adventum utrumque corporalem, et velut quidam mediator, participat cum utroque. Primus siquidem adventus, occultus et humilis; ultimus, manifestus et admirabilis: iste autem occultus quidem, sed mirabilis. Occultum sane dixerim, non quod ignoretur ab eo cui venit, sed quia secretus ei advenit. Unde glorians illa gloriosa anima se-

cum dixit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi (Isa. xxiv, 16)*. Sed nec ab ipso cui advenit, potest ante videri, quam teneri, juxta illud beati Job de se confitentis: *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam (Job. ix, 11)*. Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur, qui solummodo, dum praesens est, lumen est animae et intellectus, quo invisibilis videtur, et incogitabilis intelligitur. Caeterum quam admirabilis sit, licet occultus sit iste adventus Domini, quam suavi et felici stupore in admirationem sui suspendat et expendat animam contemplantis, quomodo omnia ossa interioris hominis acclament ei, *Domine, quis similis tui (Psal. xxxiv, 40)*? norunt quidem experti; sed utinam satis desiderent experiri non experti: ita duntaxat, ut non temeraria curiositas faciat scrutari majestatem opprimendam a gloria, sed pia charitas suspirare dilectum suscipiendos a gratia. Suscipiens enim mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram (*Psal. cxlvi, 6*), superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac. iv, 6*). Cum igitur primus adventus sit gratiae; novissimus, gloriae: iste nimirum, gratiae, pariter et gloriae; in quo videlicet per consolantem gratiam futuram nobis utenque datur praeiubare gloriam. Cum igitur in primo Deus majestatis visus sit contemptibilis, in novissimo autem videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis et amabilis: ut nec propter dignationem gratiae, qua se praebet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi; nec propter magnificentiam gloriae, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat Videns: *Vidimus eum, et non erat ei species, neque decor: unde nec reputavimus eum (Isa. liii, 2, 3)*. De ultimo expavescit etiam justus, dicens: *Et quis stabit ad videndum eum? (Malach. iii, 2)*. De isto autem dicit Apostolus: *Gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu (II Cor. iii, 18)*. Mirabile prorsus, et amabile, cum Deus amor amantis sensibus illabitur: cum sponsum Sponsus in unitate Spiritus amplectitur, et in eandem cum illa imaginem transformatur, per quam, velut per speculum, Domini gloriam specularatur. Quam beati, quorum ardens charitas hanc praerogativam jam meruit obtinere! sed et illi beati, quorum sancta simplicitas idem quandoque potest sperare! Et illi quidem jam de fructu amoris, sui capiunt solatium laboris: isti autem tanto fortasse majore merito, quanto interim minore solatio, portantes pondus diei et aestus, expectant adventum remunerationis. Nos igitur, fratres, quos nondum consolatur tam sublimis experientia, ut patientes simus usque ad adventum Domini, consoletur interim certa fides et pura conscientia, quae tam feliciter quam fideliter cum Paulo dicat: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem (II Tim. i, 12)*: in adventum scilicet gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Quod homo debeat semper esse paratus Domino adveniendi.

1. *Paratus est Israel in occursum Domini, quoniam venit (Amos iv, 12)*. Et vos, fratres, estote parati; quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet (*Luc. xii, 40*). Nihil certius quam quod veniat, sed nihil incertius quam quando veniat. Usque adeo siquidem non est nostrum scire tempora, vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate (*Act. i, 7*), ut nec angelis qui assistunt ei, de die illa vel hora scire datum sit. Dies quoque noster ultimus, certissimus nobis quod veniat: incertissimus est quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat; nisi quod, ut ante nos dictum est, senibus est in januis juvenibus est in insidiis. Et utinam vel illi se observarent, qui mortem tam paratam intrare, imo **914** jam intrantem vident. An non ex parte jam intravit, quae aliquas partes corporis jam permortuas, occupavit? In pluribus tamen semimortuis videre est adhuc viventem concupiscentiam mundi: frigescent membra, et fervet avaritia: vita finitur, et ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quoque quibus fortassis aetas, aut salus aliquid longius promittere videtur, quanto minus mors in conspectu est, tanto magis utique, si sapimus, suspecta est: ne videlicet dies illa, sicut fur in nocte, incautos et imparatos nos comprehendat; quae in insidiis posita, quominus videri aut caveri potest, eo magis timenda est. Una igitur securitas est, nunquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum; donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Observabo me*, inquit sapiens, *ab iniquitate mea (Psal. xvii, 24)*, quandoquidem non possum a morte mea; sciens quia *justus, si morte praecipuus fuerit, in refrigerio erit (Sap. v, 7)*, imo in morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita, Quam pulchrum, fratres, quam beatum, in morte non modo securum, sed et gloriosum triumphare; ex auctoritate conscientiae, spiritu et voce Martini cruentam bestiam, si astare praesumpserit, increpare; Judici venienti et pulsanti gratanter aperire! Tum vero videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere; oleum conscientiae lamentis poenitentiae velle emere, nec tempus sufficere: larvales illas facies declinare velle, nec posse: a facie irae tonantis velle in corpore delitescere, et cogi exire! Exibat spiritus ejus, et revertetur peccator in terram suam, unde sumptus est. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Scio quidem, quia conditionis humanae est, sub discrimine exitus conturbari, cum etiam perfecti nolunt exspoliari, sed supervestiri: et qui nihil sibi sunt consci, quia tamen non in hoc sunt justificati, necesse habent iudicium, quod ignorant, vereri. Sed, sive conditionis affectu, sive sanctitatis defectu, sive iudicii metu conturbata fuerit anima mea, inquit justus: *Tu, Domine, misericordiae memor eris, mitesque misericordiam tuam et veritatem tuam, et eripies animam meam de medio catuorum leonum (Psal.*

lvi, 4, 5): et qui prius conturbatus eram, postmodum *in pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal. iv, 9*). Vocavit Deus terram, et audivit eum in tremore. Cum enim auditum fecit de caelo iudicium, auditu solo terra tremuit, et terrore purgata quievit. Beati qui nunc eatenus excoquant in se omnem scoriâ peccati, ut tunc solo sufficiat timore purgari. Mecum siquidem servo inutili et negligenti bene agitur, si vel per ignem salvus fiam; si, crematis lignis, feno, stipula, quæ mihi coarcevari, vel semustus evadam. Et quidem comparatione mali, bonum vel per ignem salvum; sed indubitanter longe melius, sola purgatione metus consummari: optimum autem et felicissimum, nec metu turbari.

2. Idecirco paratus esto, o verus Israel, in occursum Domini: non solum, ut cum venerit et pulsaverit, aperias ei; sed etiam adhuc illo longe agente, alacer et gratulandus occurras ei; et tanquam fiduciam habens in die iudicii, regnum ejus advenire pleno preceris affectu. Si ergo vis tunc paratus inveniri: *Ante iudicium para justitiam tibi* (*Eccli. xviii, 19*), juxta consilium Sapientis; paratus sis ad omne opus bonum faciendum; paratus sis nihilominus ad omne malum patiendum: ut sine reprehensione cordis cantet os tuum, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Paratum quidem, ut te cooperante faciam digna; paratum, ut patiar indigna. Et ideo paratum ad utrumque, quod *cantabo et psallam in gloria mea*: id est, laudabo et gloriabor pro utroque. Et statim in hoc ipsum se justus excitat, *Exsurge*, inquiens, *psalterium et cithara* (*Psal. lvi, 8, 9*); id est cor meum et caro mea, ad exsultandum in Deum vivum: cor scilicet, propter speciales actiones; caro, propter suas passiones. Cor namque sapiens quæ sursum sunt, psalterium est sonans de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt, cithara sonans ab inferiori. Sic et alibi devotionem suam David offerens Deo, *Paratus sum*, inquit, *ut custodiam mandata tua*: et tam paratus, quod *non sum turbatus* (*Psal. cxviii, 6*), cum tentatio irrueret, et persecutio grassaretur. Cum persequeretur æmulus, malediceret servus, animam quæreret filius (*II Reg. xv-xvii*); non sum tamen **915** turbatus, quominus custodirem mandata perfectionis evangelicæ: retribuens mala pro bonis, retribuens bona pro malis; sollicitus de persecutorum salute, mœstus de morte; sustinens a servo exprobari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante Evangelium evangelica perfectio, charitas scilicet patiens et benigna, etiam erga malignos, quos tolerat. Quia igitur tam paratus erat, fiducialiter Domino nimirum occurrebat: *Sine iniquitate*, inquit, *cucurri et direxi distortos*, quantum in me fait. *Tu exsurge* igitur *in occursum meum*, occurrentis tibi: et quia nec sic pertingere passum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens operi manuum tuarum porrigas dexteram: *Exsurge in occursum meum* (*Psal. lvi, 5, 6*), et vide si *via iniquitatis in me est*: et si inveneris nescio quam viam iniquitatis, amove a me: et de lege tua misertus mei,

A *deduc me in via æterna* (*Psal. cxxxviii, 24*), id est, Christo, qui via est per quam itur, et æternitas ad quam pervenitur; via immaculata, mansio beata.

3. Puto tamen quia et ante mansionem illam beatam, si paraveris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sæpius in via ponere gressus suos, dilatabitque subitus te gressus tuos, ut dilatato corde curras viam mandatorum, cujus angustum forte causabaris initium. *Sapientia* namque, ut ipsa perhibet, *in viis justitiæ ambulat* (*Prov. viii, 20*): et: *Quæ continens est justitiæ apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata. Dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis ostendit se illis* (*Eccli. xv, 1, 2, et Sap. vi, 17*). Si minus aut nunquam tibi eam occurrere conquereris, vide ne forte viam tuam corrueris. Sic enim scriptum habes: *Insipientia viri corrumpit viam suam; Deus autem causabitur in corde suo*. Ipse siquidem stat ad ostium et pulsat: ut si quis aperuerit ei, cononet cum eo cœlestis mensæ delicias. Loquitur sponsa: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea sponsa* (*Cantic. v, 2*). Aperi mihi cor tuum, et cibabo illud. Aperi mihi os tuum, et implebo illud. *Os meum*, inquit David, *aperui, et attraxi spiritum* (*Psal. cxviii, 131*). Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, non modo invitandus, sed et atrahendus quadam violentia precis, vehementique fervoris in hospitium cordis: sicut de duobus discipulis in typum hujus rei historia refert Evangelii (*Luc. xxiv, 28, 29*). Et ipse siquidem non ob aliud, nisi ut probet devotionem charitatis tuæ, aliquando se fingit longius ire: sicut et duo angeli, Loth adorante et obsecrante ut intraret, dissimulabant tamen dicentes, *Minime, sed manebimus in platea*. Sed quid dicit Scriptura? *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum* (*Gen. xix, 2, 3*). Pia violentia, qua regnum cœlestis rapitur: laudabilis importunitas, quæ Christum hospitem, aut angelos promeretur. Sed quid est, inquis, quod Jesus fingit se longius ire? Quid, nisi illud quod Ecclesiastes confitetur de se? *Dixi, sapiens efficiar; et ipsa longius recessit a me* (*Eccle. vii, 24*). Hoc autem sponsa manifestius exponit, nostram utique quotidianam exprimens querimoniam, ubi ait: *Surrexi aperire dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Quæsi illi, et non inveni* (*Cantic. v, 3, 6*): vocavi, et non respondit mihi, sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum sapientiæ invocabas, spiritum gratiæ quærebam in oratione: si tibi videtur longius recedere, ne desperes, sed importunus insiste; donec respondeatur tibi, *Magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti* (*Matth. xv, 28*).

4. Cum tamen invitas Jesum, vide ne Deum majestatis ad sordidum et indignum invites hospitium; ubi nec te ipsum patiatur habitare quietum uxore litigiosa, seu fumus, aut stillicidium. Non enim nisi in pace fit locus ejus: nec aliud quam justitia et iudicium præparatio sedis ejus. Nunc autem *me*, inquit, *de die in diem quærunt, et scire vias meas*

volunt, quia gens quæ justitiam fecerit, et iudicium Dei sui non dereliquerit (*Isa. lviii, 2*). *Justitia*, inquit, *et iudicium præparatio sedis ejus* (*Psal. lxxxviii, 15*). Noli causari quasi sumptuosum [*fort. præsumptuosum*] sit, viresque tuæ excedat paupertatis, tam magnifico, tamque potenti præparare domum hospiti: habes ad manum unde id possis. Humanum dico propter infirmitatem carnis tuæ, vel magis angustiam mentis tuæ. Confitere perfecte de præterito: bonam voluntatem habe de cætero; pax enim hominibus bonæ voluntatis (*Luc. ii, 14*), et hoc iudicio et justitia sedem Altissimo præparasti. Vis manifestius audire de confessione, quod eam oporteat fieri in præparatione adventus Domini? *Justus*, ait Scriptura, **916**, *in initio sermonis accusator est sui*. Et quid sequitur? *Venit amicus ejus* (*Prov. xviii, 17*), qui modo ante confessionem inimicus assistebat longius. Cum enim dixit, *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino* (*Psal. xxxi, 5*); et ipse remisit: *Venit*, inquam, *et investigabit eum*. Prorsus investigabit, tanquam potio valida, scrutans corda et renes; pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, exhaustiens noxia de medullis animæ, mentisque visceribus, purgans affectum et fructum plus afferat: de cujus primitivo fructu confessionis jam gaudet pater agricola. Ipse tamen qui post confessionem nonnunquam et antequam invocetur, adest, nonnunquam expectat ut tu prior eum invites: et ut meritum tibi augeat, sæpe diutius dissimulat; ut tu attentius psallendo, instantius orando, dulciter violentus intrare compellas: alioquin planget propheta quod civitates austræ clausæ sint, nullo introeunte (*Jerem. xliii, 19*). Cum ergo dicere poteris, *Paratum cor meum, Deus*, quia vacuatum a malis; *paratum cor meum*, quia sanctis plenum desideris: tunc sedulus fac quod sequitur, *Cantabo et psallam dicam* (*Psal. lxiv, 8*). Et quicumque sit sonus cantantis vel psallentis, hæc sit intentio mentis: *Exsurge, gloria mea, exsurge in occursum mei; quia, quantum potui, occurri tibi. O benigne Jesu, quam alacer et promptus, quam lætus et festivus occurris hujusmodi devotioni! quam hilarem te ostendis in viis istis! Occurristi*, inquit Isaias, *lætanti et facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui* (*Isa. lxxvi, 5*). Si enim psallas sapienter, in via immaculata veniet; veniet qui et illuminabit abscondita tua, ut quæ nescis intelligas mysteria Scripturarum, eritque ut dicas: *Psallam et intelligam in via immaculata, quando veniet ad me* (*Psal. c, 1, 2*). *Excita, Domine, potentiam tuam*, quæ excitet pigritiam nostram in occursum tui: *et veni, ut salvos nos facias* (*Psal. lxxxix, 3*), Salvator mundi; qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De vita solitaria, et de via Domino paranda.

1. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini* (*Isa. xl, 3*). Primo omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi; quæ ab

A initio gratiæ, quieti sanctorum meruit consecrari. Consecravit nobis plane habitationem deserti vox clamantis in deserto, Joannes prædicans et tribuens baptismum poenitentiae in deserto; quanquam et ante ipsum quibusque sanctissimis prophetarum, velut auditorium Spiritus, amica semper iuerit solitudo. Longe tamen excellentior atque diviniorem ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cum Jesus Joanni successit: qui etiam, antequam prædicare poenitentibus inciperet, locum poenitentibus præparandum putavit; atque per dies quadraginta, dum versatur in deserto, velut purificans locum, novumque novæ vitæ dedicans locum, tyrannum qui incubabat, omnemque malitiam et subtilitatem ejus, non tam sibi, quam illis qui accolæ eremi futuri erant, superavit. Si ergo elongasti fugiens et manens in solitudine, ibi permansere, ibi expecta eum qui te salvum faciet a pusillanimitate spiritus, et tempestate. Quantalibet ingruat tibi tempestas bellorum, quantacunque patiaris in deserto, penuriam etiam victualium, noli pusillanimitate spiritus redire mente in Ægyptum. Felicius te pascet eremus manna, id est pane angelorum, quam Ægyptus ollis carniū. Ipse Jesus quidem in eremo jejunavit; sed multitudinem sequentium se in deserto, sæpe et mirabiliter pavit. Sæpius autem et mirabilius te satiat, qui tanto gratiore merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in deserto. Cum enim diutius eum tui oblitum putaveris, ipsi suæ non immemor bonitatis, consolabitur te, et dicet tibi: *Recordatus sum tui. miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto* (*Jerem. ii, 2*). Tunc plane ponet desertum tuum quasi delicias paradisi: et ipse confiteberis quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron* (*Isa. xxxv, 2*). Sicut enim in multis hodie locis, etiam juxta litteram illud propheticum videmus impleri, *Pinguent speciosa deserti* (*Psal. lxiv, 13*); et, *Deserta in ubertatem versa advenæ comedent* (*Isa. v, 17*); sic quilibet Scripturæ locus, qui ante **917** tibi sterilis videbatur et aridus, repente ad benedictionem Dei mira replebitur ubertate, ac pinguedine spiritus; ut de saturitate mentis eructes hymnum laudis, *Confiteantur*, inquiens, *Domino, misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum: quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis* (*Psal. cvi, 8, 9*).

2. Illud sane mirabili gratia provisum est divinæ dispensationis, ut in his desertis nostris quietem habeamus solitudinis, nec tamen consolatione carreamus gratiæ et sanctæ societatis. Licet cuique sedere solitarium, et tacere, eo quod neminem patiatur interpellantem; nec tamen vox soli, eo quod non habeat confiventem: aut, si ceciderit, sublevantem (*Eccle. iv, 10*). In frequentia hominum sumus, et sine turba sumus; velut in urbe versamur, nullum tamen tumultum patimur, quominus vox clamantis in deserto a nobis audiat: si modo in-